



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1738. usque ad annum 1740

**Fleury, Claude**

**Augustæ Vindelicorum, 1786**

**VD18 90119355**

§. 13. Larga pecuniarum subsidia ad bellum Turcicum Cæsari submissa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67878](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67878)

Sæc. XVIII. Præprimis igitur Vaticanam Bibliothecam, adjuncto novo ædificio amplavit. hancque armariis, pluteisque instruxit, ut in eis Orientales Codices ejus jussu comparati & alii ab Angelo Maria Cardinale Quirinio præfatæ Bibliothecæ dono dati, necnon numismata Manuscripta aliæque antiquitates ex Ægypto ab Assermannio Romam allatae decenter excipi ac reponi possent; insuper ad construendam in Cænobio Aræ Cæli Bibliothecam octo circiter aureorum millia contulit.

## §. XIII.

*Larga pecuniarum subsidia ad bellum Turcicum a Papa Cæsari suppeditata.*

Interim Carolus Imperator, ut bellum contra Turcas motum magis prospero, quam anno priori, armorum successu prosequi posset, exauctorato Seckendorffio supremum exercitus imperium Comiti Königseckio demandavit, militumque, ac pecuniarum suppeditas undique a Principibus Catholicis conquisivit: Inter ceteros magis alacrem sese exhibuit Clemens Pontifex, qui præterquam, quod jamjam opes & auxilia, quantum potuit, in belli expensas contulisset, insuper die

vigesima quinta Aprilis hujus anni Jubilæum pro Italiæ & Insularum adjacentium Christi fidelibus, qui Divinam opem contra Christiani nominis hostem & grassantem pestilentiam fervide imploraverint, indixit, edita hanc in rem Constitutione Apostolica, cujus exordium, cum Pastoralem Clementis Zelum, pietatemque luculenter demonstret, huc adducere, operæ pretium erit. Hæc sunt illius verba:

„Quam in omnibus fere sacræ Scri-  
 „pturæ paginis ad eruditionem unicui-  
 „que traditam doctrinam, luculentissi-  
 „mis tum veteris, tum novi Fœderis  
 „exemplis comprobata, confirmari in  
 „dies experimur, ut omnem in Deo  
 „nostro reponentes fiduciam, oppor-  
 „tunum ad avertenda propulsandaque  
 „quæcumque impendentia mala per sa-  
 „lutaris pœnitentiæ lamenta, jejunia,  
 „eleemosynas, sincerasque obsecrationes  
 „a misericordiarum Patre, & Deo to-  
 „tius consolationis auxilium præstole-  
 „mur; hanc etsi in Christifidelium menti-  
 „bus insitam semper & venerata sit tam-  
 „quam Fidei galeam, & inexpugnabile  
 „salutis scutum in omnibus angustiis  
 „assumere decet unumquemque; Ca-  
 „tholica certe Ecclesia tum maxime se  
 „obstrictam esse novit, cum aut gravif-  
 „simas argere necessitates, aut adver-  
 „sus

Sæc. XVIII. „sus Christiani nominis Cultores ab  
 A. C. 1739. „sensissimis hostibus arma inferri, ca-  
 „lamitatesque, & excidium intentari  
 „animadvertit.,

„Nos autem, quibus plane imme-  
 „rentibus suprema omnium Ecclesiarum  
 „solicitude, & cura a Pastorum Pri-  
 „cipe Jesu Christo demandata est, cum  
 „bellum, tertius jam annus est, ex quo  
 „exarserat, in Hungaria periculosis-  
 „simum cum Turcarum Tyranno agitari  
 „inaudivissemus, tum privatis, tum  
 „publicis indictis precibus Dominum  
 „Deum exercituum exoravimus, ut  
 „mitteret auxilium suum de Sancto, &  
 „effunderet iram suam in gentes, quæ  
 „fortitudine sua gloriabantur. Hoc idem  
 „elapso anno non intermissis obsecratio-  
 „num studiis præstare non omisimus.,

„Quoniam autem tantum bellum  
 „majoribus, quam antea, viribus ex  
 „toto Oriente comparatis, & effere-  
 „ntiori rabie ab Othomano furore hoc  
 „anno instaurari, pestemque adhuc  
 „durare accepimus: primum quidem  
 „in humilitate cordis nostri cum ge-  
 „mitibus, & lacrimis prostravimus pre-  
 „ces nostras ante faciem Dei nostri, ut  
 „respiceret in hæreditatem, quam acqui-  
 „sit sanguine suo; deinde vero que-  
 „cumque potuimus, industriæ opisque  
 „consilia, & auxilia alacri studio con-  
 „ferre

Sæc. XVIII.  
A. C. 1739.

„ferre curavimus. Tandem scientes  
 „concordem supplicantis Ecclesiæ ad  
 „Dominum Orationem potentio-  
 „quam cetera, esse, ut ponat ille ocu-  
 „los suos ad placandum, & liberandum  
 „populum suum ab iis, qui confidunt  
 „in quadrigis, & in equitatu suo, &  
 „in multitudine Bellatorum: publicas  
 „quoque preces iterum, sed ardentiori  
 „Charitatis fervore conjunctas in uni-  
 „versa Italia, eique Insulis adjacenti-  
 „bus indicendas esse arbitramur: ut  
 „Dominator Cælorum, qui pius, &  
 „misericors est, & propitiatur invo-  
 „cantibus se in veritate Deus noster,  
 „& non secundum armorum potentiam,  
 „sed prout ipsi placet, dat dignis victo-  
 „riam, benedicat Nos, ac tueatur; &  
 „metuant eum Adversarii nostri, & con-  
 „fundantur, & dispereant, & fiat pax  
 „in diebus nostris, & lætemur in salu-  
 „tari suo. Verum, ut Orationum sus-  
 „fragia accepta sint in conspectu Dei  
 „nostri, & fructuosius omnia peragan-  
 „tur, ex prisco Romanæ Ecclesiæ om-  
 „nium Matris, & Magistræ more, cæ-  
 „lestium munerum thesauros, quorum  
 „dispensationem fidei nostræ commisit  
 „Divina dignatio aperire, & liberali  
 „manu erogare decrevimus &c. „

Nec hic tamen stetit paterna Cle-  
 mentis sollicitudo, ac prompta juvandi  
 volun-

Sæc. XVIII

A. C. 1739

voluntas, quamvis enim die sexta Aprilis in ipso Pontificis Palatio ingens pecuniarum summa unacum plurimis literis argentariis furto fuisset ablata, & post sedulam totius Aulæ inquisitionem nonnisi apud Remigium adulterine claves aliaque instrumenta furibus obtata fuissent reperta, & licet omnes literæ (una excepta) per furis Confessionem Cardinali Status Secretario restitutæ, ingens tamen damnum ærario Pontificio inde accessit, nihilominus Pontifex de suo privato ærario duodecies mille aureos, ac rursus centies mille Cæsari submitit; insuper indicto ut vocant, *Consistorio* orationem habuit gravissimis verbis conceptam, qua cunctos Cardinales ad parem liberalitatem hortabatur; nec id incassum; omnes enim pro sua quisque facultate se ultro concursuros spondebant: Eapropter paucis post diebus Pontifex Realem supremum Rituum Magistrum ad Cardinalium Palatia emisit, ut eos sui promissi memores faceret. Ex his igitur ceteris priores erant Cardinales Aquaviva, Caraffa & Corradinius, qui tria scutorum millia & trecenta contulere: Horum exemplo animati ceteri ingentem auri vim congefferunt, ac demum omnes totius ditionis Pontificiæ Episcopi, Abbates, Ordinum Magistri ac Clerici

Clerici pecunias in eandem caussam Sæc. XVIII.  
adeo liberaliter erogarunt, ut ex his A. C. 1739.  
quadraginta aureorum millium summa  
conflari potuerit, quæ demum per Car-  
dinalem Status Secretarium ad Cæsa-  
ris Aulam transmissa fuit.

## §. XIV.

*Missionis Apostolicæ à Salisburgensi  
Archiepiscopo fundatæ initia.*

Crassa equidem Religionis inscitia,  
dissolutæ vitæ amor, & subjectio-  
nis excutiendæ desiderium viginti duo  
millia & amplius ex Salisburgensibus  
rusticis, uti jam retulimus, ad profi-  
tendam plus offerentis sectam impulit,  
& ex sua patria jure expulit: Postquam  
igitur Leopoldus Eleutherius de Fir-  
mian Archiepiscopus & Princeps Sa-  
lisburgensis rebellium horum terras Ca-  
tholicis incolendas dabat, primas eo  
curas convertit, ut omni ope & opera  
novæ ejusmodi defectioni obsisteret: Ad  
tam salutare opus nihil magis oppor-  
tunum & efficax fore existimabat, quam  
si in universa sua Diæcesi sex perpetuas  
Missiones institueret, ac fundaret, &  
præscriptis certis Regulis ac prædio-  
rum limitibus, eas diversorum Ordi-  
num Regularium Viris demandaret: Eo  
fine jam anno hujus sæculi trigesimo  
*Hist. Eccles. Tom. LXXVI. X se-*